



SCHOLIUM. Si corpora non elastica sint, in reperienda communi quantitate motus compendio uti licet, omisso enim in formula, quae celeritatem communem exprimit, denominatore, numerator exhibet quantitatem motus post conflictum: sic in impactu celeritas communis est  $= \frac{MC}{M+m}$ , quanti-

tas motus  $= MC$ ; in incurfu est celeritas  $= \frac{MC+mc}{M+m}$ ,  
 quantitas motus  $= MC+mc$ ; denique in occurfu est celeritas  $= \frac{MC-mc}{M+m}$ , mensura motus  $= MC-mc$ .

In corporibus vero elasticis compendiaria isthaec operatio locum non habet, quia in his non datur communis celeritas, cum post conflictum a se recedant; (*per schol. 2. §. 2. cap. praes.*) singulae proinde massae in celeritates sibi proprias ducendae sunt.

§. XII.

Occursus  
elast.

THEOREMA VI. *Si duo corpora elastica M & m sibi mutuo occurrunt fortius M agit elatere suo in debilius m, ac si summa celeritatum quae est ante conflictum, in m quiescens incurreret; & eodem modo vi sua elastica reagit m in M. DEMONSTRATUR: Si corpora non forent elastica sibi que occurrerent, idem foret ac si M in m quiescens summa celeritatum incurreret: est enim hoc in casu celeritas communis post ictum*